

OBSERVATIONS ORTHOPTÉROLOGIQUES

PAR

C. STÅL.

3.

MÉMOIRE COMMUNIQUÉ A L'ACAD. ROY. DES SCIENCES LE 5 JUIN 1878.

(IMPRIMÉ APRÈS LA MORT DE L'AUTEUR.)

STOCKHOLM, 1878.

F. A. NORSTEDT & SÖNER

ROSL. BUCHHÄNDLER



DE GENERE PEZOTETTIGIS ET NONNULLIS
GENERIBUS AFFINIBUS.

Sur le *Pezotettix* et quelques genres voisins.

PEZOTETTIX BURM.

- 1 (6). Margo apicalis laminae subgenitalis marium usque a lateribus rectus vel sensim levissime obtusissimeque rotundatus, quod distinguitur, si lamina a latere examinatur; intervallum costae et radii elytrorum in formis macropteris Americae meridionalis, saltem apud feminas, anterieus distincte ampliatum; lobi metasternales marium cognitorum subcontigui, feminarum modice distantes; lobi geniculares femorum posticorum plerumque pallidi toti et fascia vel macula anteriore nigricante destituti, rarissime toti nigri; tibiae posticae extus spinis typice novem, rarissime octo vel decem, armatae; spinae utriusque lateris tibiaram posticarum annulo basali pallido, plerumque lato vel latissimo, instructae, apice nigrae; segmentum dorsale ultimum marium in medio apicis raro inerme, plerumque dentes vel lobulos duos parvos, contiguos vel levissime distantes, haud divaricatos, in sulco laminae supraanalis quiescentes, vel processum sulcatum vel apice emarginatum e medio marginis apicalis emittens; cerci marium graciles vel graciliusculi; saltem in parte basali sensim gracilescentes; typus Americam meridionalem et centralem inhabitans, in America boreali rarissime occurrens.
- 2 (5). Lamina subgenitalis marium retrorsum sat fortiter producta, ultra apicem laminae supraanalis sat longe prominula, haud vel levissime recurva, margine apicali horizontali vel subhorizontali; intervallum oculorum minus angustum.
- 3 (4). Dorsum pronoti, etiam in brachypteris, postice distincte productum, posterius angulum distinctum formans vel rotundato-angulatum, lobo postico in medio quam ad latera distinctissime vel multo longiore; elytra, etiam in brachypteris distincte valvantia; sulci transversi dorsi pronoti sat distincti. — Divisio prima.
- 4 (3). Dorsum pronoti postice haud vel obsoletissime productum, basi truncatum vel rotundato-truncatum, lobo postico in medio quam ad latera haud vel vix longiore; sulci trans-

- versi dorsi pronoti, saltem in lobo antico, subtiles et minus distincte, anterior interdum evanesceus; elytra in mihi cognitio semper fortiter abbreviata, distantia vel vix valvantia. — Divisio secunda.
- 5 (2). Lamina subgenitalis marium fortissime recurva, ultra apicem laminae supraanalis vix promiula; intervallum oculorum sat angustum parti interantennali costae, frontalis angustius vel subangustius, elytra et alae nunc completa, nunc rudimentaria. — Divisio tertia.
- 6 (1). Margo apicalis laminae subgenitalis marium usque ad latera extrema subito magis minusve ampliatus et productus, ibidem angulum rotundatum formans vel fortiter rotundatus, quod interdum haud facile observatum, vel rarius (*Pezot. alpinus*) inter latera et medium sensim distincte rotundatus; intervallum inter costam et venam radialem elytrorum in macropteris antierius haud ampliatus; formae ad faunam europaeam et boreali-americanam pertinentes.
- 7 (12). Oculi, praesertim marium, magni vel majusculi, ante scrobes antennarum extensi; intervallum loborum mesosternalium apud mares numquam, apud feminas rarissime subtransversum, lobis semper distincte vel multo angustius; lobi metasternales marium subcontigui, feminarum quoque inter se plerumque sat appropinquati; intervallum loborum metasternalium feminarum costa frontali plerumque multo angustius; elytra alaeque in mihi cognitio numquam deficientia, plerumque completa, rarius abbreviata; segmentum dorsale ultimum in medio et lamina supraanalis marium haud nigro-picta; lamina subgenitalis marium plerumque tota pallida, impicta, raro macula parva apicali nigra notata; formae Americam borealem et Mexico inhabitantes.
- 8 (9). Lamina subgenitalis marium brevis, fortiter transversa, in medio quam ad latera brevior vel saltem haud longior, a supero visa posterius obtuse rotundata, subtus ad medium marginis apicalis macula parva nigra notata; cerci longitudine variabiles, toti compressi, a basi fere ad medium sensim angustati, dein apicem versus sensim ampliati vel saltem haud angustati, apice obtuse rotundati, parte apicali extus leviter excavata; abdomen apicem versus leviter tumescens. — Divisio quarta.
- 9 (8). Lamina subgenitalis marium variabilis posterius quam in *Paroxya* plerumque magis producta macula apicali parva media nigra destituta, rarissime tota nigricans, cerci variabiles; abdomen apicem versus magis minusve tumescens.
- 10 (11). Lamina subgenitalis marium tuberculo a margine apicali distante destituta, raro tumescencia apicali, marginem ipsum tangentem, instructa; spina utriusque lateris vel saltem lateris

exterioris tibiæ posticarum per totam longitudinem, saltem in parte posteriore, nigræ, rarissime basi per totum ambitum pallidæ glaucæ vel rufescentes; lobi geniculares femorum posticorum antè fascia vel macula nigra vel fusca plerumque notati; cerci marium maxime variabiles, plerumque usque ad apicem compressi, lati vel latiusculi. — Divisio quinta.

11 (10). Lamina subgenitalis marium tuberculo subapicali, a margine apicali distincte distante, instructa; cerci marium usque ad apicem vel saltem ultra medium sensim gracilescentes, acuminati vel subacuminati; spinæ utriusque lateris tibiæ posticarum basi per totum ambitum plerumque pallidæ; lobi geniculares femorum posticorum pallidæ, antè plerumque immaculatæ, raro fascia vel macula olivaceo-virescente notatæ; abdomen marium apice haud tumescens. — Divisio sexta.

12 (7). Oculi proportionaliter parvi quam scrobes antennarum ad marginem apicalem frontis haud vel vix magis appropinquati; intervallum loborum mesosternalium apud feminas distinctissime vel fortiter transversum, lobis haud vel haud multo angustius, apud mares quoque plerumque licet minus distincte, transversum; lobi metasternales marium plerumque distinctissime distantes; lobi metasternales feminarum sat distantes, intervallo loborum costæ frontali plerumque latitudine æquali vel latiore, rarissime costa frontali paullo angustius; elytra aëque typice nulla vel fortiter abbreviata; segmentum dorsale ultimum marium apice in medio plerumque nigro-maculatum vel dentes lobulosve duos nigros emittens; lamina supraanalis marium plerumque nigro-picta; lamina subgenitalis marium plerumque tota nigra, vel apice, saltem ad latera, nigro-limbata; formæ ad faunam europæam et boreali-americanam pertinentes. — Divisio septima.

Obs. — *Pez. nigro-vittatum* STÅL nec non species ex Illinois, in quibus oculi majores et lobi sternales quam in formis typicis minus distantes, in hac divisione posui propter picturam nigram partium analium vel saltem laminæ subgenitalis.

Obs. — Species quædam europææ, *Pez. Salamandra* et affines, oculis quam in formis typicis majoribus gaudent.

Obs. — Species paucissimæ, in quibus lobi metasternales distinctius distant, quarum autem oculi majores et segmentum dorsale ultimum et lamina supraanalis pictura nigra destituta sunt, in divisione 7 (12) quærendæ.

DIVISIO PRIMA.

(Dichroplus STÅL et Trigonophymus STÅL.)

a. *Valvulae genitales feminarum apice emarginato-truncatae; intervallum loborum mesosternalium longius quam latius, apud feminas costae frontali latitudine aequale; cerci marium sat longi, pone medium compressi, in medio vel ante medium leviter coarctati; tibiae posticae extus spinis novem typice armatae.*

1. *P. cliens* STÅL; 2. *P. lemniscatus* STÅL.

aa. *Valvulae genitales feminarum apice integrae, acuminatae vel subacuminatae; intervallum loborum mesosternalium plerumque latius quam in divisione praecedente, plerumque quoque distincte transversum.*

b. *Tibiae posticae extus spinis typice novem armatae; margo exterior loborum lateralium pronoti rarissime partim niger; elytra aequae apicem femorum posticorum attingentia vel superantia.*

c. *Intervallum loborum mesosternalium feminae fere longius quam latius, costae frontali latitudine subaequale; vitta nigra genarum loborumque lateralium pronoti in exemplis rite coloratis per totam longitudinem distincta.*

3. *P. patruelis* STÅL.

4. *P. fuscus* THUNB. — *P. patrueli* maxime affinis, sed costa frontali punctis lateralibus serie positis fortioribus instructa, margine exteriori loborum lateralium pronoti anti medium anguste fuscis, vena radiali interiore et vena ulnari exteriori, quae aream postradialem limitant, pallidis, venis reliquis haud obscurioribus, vena intercalata fusco-lineolata, nec tota fusca, coxis posticis vitta fusca notatis. ♀.

cc. *Intervallum loborum mesosternalium plerumque transversum et latius quam in divisione c; vitta obscura per genas et lobos laterales pronoti ducta nulla vel minus distincta; vena intercalata areae postradialis elytrorum tota vel saltem inter maculas fuscas vel nigricantes, quibus saepe ornata est area illa, pallida.*

d. *Lobus posticus pronoti retrorsum subadscendens, lobo antico paullo longior.*

5. *P. arrogans* STÅL.

dd. *Lobus posticus pronoti haud adscendens, lobo antico longitudine subaequalis vel brevior.*

e. *Coxae posticae extus fusco vel nigro-maculatae; limbus apicalis laminae subgenitalis marium latera versus niger; intervallum costae et radii anterius leviter ampliatum.*

6. *P. punctulatus* THUNB.

ee. *Coxae posticae immaculatae; limbus laminae subgenitalis marium nullibi niger; intervallum costae et radii anterius magis ampliatum et apud feminas densius reticulatum.*

7. *P. Bergii* STÅL. — *P. punctulato*, quae species per maximam partem Americae meridionalis frequentes occurrit, simillimus et maxime affinis, distinctissimus autem magnitudine majore; costa

frontali inter antennis subampliata vel saltem pone ocellum basin versus haud sensim angustata, tantum pone antennis leviter angustata; elytris alisque apicem femorum attingentibus, illis maculis obscurioribus destitutis; intervallo inter costam et radium anterieus distinctius ampliata; tuberculo prosternali acutiore, basi minus lato, ab antico posticoque minus compresso; lobis mesosternalibus nonnihil minus distantibus. ♂♀. Long. 20—24 mill.

Var. a. — Femoribus posticis intus et subtus ultra medium sanguineis, apicem versus cum tibiis posticis dilute olivaceo-virescentibus.

Var. b. — Femoribus posticis subtus sanguineis, intus partim sanguineis, sed maxima parte cum area exteriori inferiore et tibiis posticis fusco-glaucis vel glauco-nigricantibus.

Patria: var. a. Buenos Ayres, Parana; var. b. Corrientes. (Mus. Holm.)

Femora postica olivaceo-conspersa, maculis majoribus fuscis vel nigris destituta. Intervallum loborum mesosternalium marium longius quam latius, feminarum æque longum ac latum vel subtransversum, lobis distincte angustius.

8. *P. robustulus* STÅL. — *P. Bergii* maxime affinis, sed robustior latior, femoribus posticis latioribus, intervallo loborum mesosternalium fortius transverso et lobis vix angustiore, lobis lateralibus pronoti, saltem in exemplo descripto totis concoloribus, nec extus pallidis, elytris maculis parvis fuscis conspersis, tuberculo prosternali basi latiore, latius triangulari ab antico posticoque distincte compresso, tibiisque posticis glaucis, prope basin annulo pallido notatis. ♀. Long. 21 mill.

Patria: Sao Leopoldo Brasiliæ meridionalis. (Mus. Holm.)

bb. *Tibiæ posticæ extus spinis octo armatæ; margo exterior loborum lateralium pronoti partim niger; elytra alæque abbreviata, illa capiti pronotoque unitis longitudine subæqualia.*

9. *P. peruvianus* STÅL. Pallide griseo-flavesceus; vertice fere toto vel vitta lata indeterminata verticis, vittis duabus indeterminatis dorsi pronoti, vitta lata postoculari genarum, per partem superiorem loborum lateralium pronoti ducta, pleuris, femoribus posticis superne et extus, nec non maculis sparsis pedum anteriorum fusco-olivaceis; vitta obliqua pleurorum griseo-flavescente; femoribus posticis intus et subtus, tibiis tarsisque posticis sanguineis; spinis tibiarum apice nigris; elytris fusco-griseis, leviter valvantibus, pone medium sensim subacuminatis; carina discoidali inferiore lateris exterioris femorum posticorum cum parte adjacente carinarum obliquarum disci flavescente. ♂♀. Long. 19—28 mill.

♂. Abdomen apicem versus sensim leviter tumescens; segmentum dorsale ultimum apice sensim obtusissime sinuatum, in medio obsolete emarginatum (lobulis destitutum?) lamina supraanalis retrorsum sensim angustata, ultra medium sulcata; cerci medioeres, sensim leviter incurvi, pone medium distincte compressi, ante medium leviter coarctati obtusiusculi; lamina subgenitalis modice producta; lobi mesosternales leviter transversi, intervallum loborum æque lon-

gum ac latum; lobi metasternales subcontigui; oculi majores, modice prominuli.

♀. Lobi mesosternales distincte transversari; intervallum lorum mesosternalium distincte transversum, lobis nonnihil angustius; lobi metasternales sat distantes; oculi minores et minus prominuli.

Patria: Peru. (Coll. BRUNNER.)

Statura fere *P. Bergii* sed major. Costa frontalis in medio obtuse sulcata, basin versus punctata, pone antennas levissime angustata. Sulci pronoti continui. Lobus posticus pronoti lobo antico brevior, postice angulum obtusum formans. Tuberculum prosternale subconicum.

10. *P. amoenus* STÅL. — Olivaceo-viridis; capite pronotoque griseo-flavescentibus; macula magna triangulari verticis, in fastigium haud extenso, vitta latissima, retrorsum sensim ampliata dorsi pronoti, vitta lata postoculare genarum, per lobos laterales pronoti continuata nec non pleuris obscure olivaceis vel subcinnameo-olivaceis; vitta obliqua pleurorum griseo-flavescente; elytris subovalibus apice rotundatis, leviter valvatis, parte plus quam dimidia exteriore fusca, parte interiore olivaceo-virescente et parce fusco-conspersa; lateribus dorsi abdominis ante medium, capitulo femorum posticorum toto, basi tibiaram posticarum nigris; tibiis posticis glaucis, parte plus quam dimidia apicali spinarum nigra. ♀. Long. 27 mill.

Habitus præcedentis. Pronotum læviusculum, lobis lateralibus extus punctatis. Costa frontalis linearis, medio impressa, parce punctata, basi haud angustata. Tuberculum prosternale et lobi sternalis uti in specie præcedente. Antennæ mutilæ in exemplo descripto.

DIVISIO SECUNDA.

a. *Caput os versus sensim fortiter ampliatum, genis tumescentibus; pronotum basi apiceque truncatum; elytra distantia; tuberculum prosternale truncatum.*

1. *P. mexicanus* BRUNN. — *Platyphyna mexicanum* *BRUNNER, Verh. Zool. Bot. Ges. Wien XI. p. 224. (1861).

Patria: Mexico, Orizaba. (Coll. BRUNNER.)

♀. A *Pezotettige femorato*, cum quo comparata est hæc species, fere in omnibus characteribus maxime divergens. Antennæ breves, articulis brevibus compositæ, pronoto haud multo longiores. Oculi mediocres, leviter convexi. Caput ab antico visum os versus fortiter ampliatum, genis tumescentibus. Frons et genæ apicem versus parce punctatæ. Costa frontalis latiuscula, depressa, apice evanescentis, pone antennas basin versus sensim sat angustata, basi angusta, in parte basali ad margines punctis nonnullis instructa. Carinæ laterales frontis obtusissimæ, fortiter divergentes. Intervallum oculorum parti interantennali costæ frontalis latitudine subæquale. Pronotum dorso planum, carina media percurrente obtusa distinctissima sulco postico intersecta, instructum, retrorsum sensim levissime ampliatum, in lobo postico parce obsoleteque punctulatum, præterea læve vel

tantum ad margines laterales punctis nonnullis instructum; lobus posticus lobo antico dimidio brevior; margines anticus et posticus in medio emarginati. Dorsum pronoto cum lobis lateralibus angulum sat distinctum, teretem, minime carinatum formant. Lobi laterales pronoti remoti in lobo postico densius, distincte punctati. Sulcus ille transversus qui in medio lobi antici pronoti positus est magnam ad partem deleta obsoleta, in dorso utrinque abbreviata et medio interrupta. Elytra ovalia, extus quam intus magis rotundata, circiter duplo longiora quam latiora, sat distantia medium segmenti dorsalis primi attingentia, pronoto longitudine subæqualia. Tuberculum prosternale ab antico posticoque fortiter compressum, transversum apice late truncatum, quadrangulare, parallelogrammum. Lobi mesosternales transversii; intervallum transversum, lobis nonnihil angustius. Lobi metasternales sat convergentes, posterius haud multo distantes. Tibiæ posticæ extus spinis decem armatæ. Long. 26 mill.

aa. *Caput a fronte visum minus latum, os versus minus ampliatum, genis haud tumescentibus; pronotum basi obtusissime rotundatum; elytra contigua vel leviter distantia; tuberculum prosternale usque ad apicem sensim angustatum.*

2. *R. varicolor* STÅL. — Dilute sordide flavescens, vel olivaceo-flavescens; vitta lata, per partem postocularem genarum et partem dimidiam superiorem lorum lateralium pronoti ducta, obscuriore, varicolore; mesopleuris macula, metapleuris vitta angusta obliqua pallide flavescente notatis. ♂♀. Long. 12—16 mill.

♂. Oculi majusculi, sat lati, modice convexi; intervallum lorum mesosternalium leviter transversum, lobis paullo angustius; lobi metasternales subcontigui; abdomen pone medium sensim tumescens; segmentum dorsale ultimum ante laminam supraanalem sensim obtusissime sinuatum, margine apicali in medio levissime emarginato et ad emarginaturam utrimque obtusissime obsoletissime sublobato; lamina supraanalis triangularis, fere brevior quam basi latior, apice anguste rotundata, ultra medium sulcata; cerci mediocres, laminæ supraanali longitudine subæquales, sensim recurvi, a basi ad medium sensim angustati, dein compressi et fere usque ad apicem latitudinem eandem retinentes; lamina subgenitalis triangulariter producta.

♀. Oculi minores et minus convexi; intervallum lorum mesosternalium transversum lobis latitudine æquale vel paullo angustius, quod variat; lobi metasternales modice distantes.

Var. a. — Vertex, dorsum thoracis et abdominis et elytra fusca vel subferrugineo-fusca, vitta postoculari genarum lorumque pronoti, nec non pleuris obscurius ferrugineo-fuscis; pedibus anticis ferrugineo-variis; femoribus posticis ferrugineo-fuscis, supra subtusque sordide flavescens; tibiis tarsisque posticis ferrugineis.

Var. b. — Varietati a similis, sed vertice, dorsum pronoti abdominisque nec non parte circiter dimidia interiore elytrorum pallidioribus, fusco-flavescens.

Var. c. — Varietatibus præcedentibus similis, sed vitta laterali capitis et pronoti femoribusque posticis superne olivaceo-viridibus; pedibus anticis interdum olivaceo-virescentibus.

Patria: Columbia. (Mus. Holm. et Coll. BRUNNER.)

Genæ apicem versus, frons et pronotum parce punctata; punctura pronoti densior et distinctior, in dorso lobi antici sæpe obsoleta. Antennæ pronoto paullo longiores (♂) vel longitudine æquales. Costa frontalis apice evanescens, pone antennas basin versus sensim nonnihil angustata. Carinæ laterales frontis apicem versus fere evanescentes, sensim divergentes. Fastigium verticis carinis duabus obtusis parallelis distantibus instructum, obtuse rotundato-triangulari. Intervallum oculorum parti inter-antennali costæ frontalis latitudine subæquali, in mare paullo angustius quam in femina. Dorsum pronoti transversim levissime convexum, in lobos laterales sensim arcuatim transiens; carina obtusissima, obsoleta, sulco transverso posteriore intersecta, instructum; sulci lobi antici obsoleti, interrupti, interdum vix distinguendi; lobe posticus lobo antico dimidio nonnihil longior. Elytra lata, rotundata, fere æque lata ac longa, apicem segmenti dorsalis primi abdominis attingentia, pronoto nonnihil breviora, pone medium oblique rotundato-angustata, apice rotundata, sese tangentia vel vix distantia. Tuberculum prosternale ab antico posticoque compressum, basi latum, triangulare, apice rotundatum. Tibiæ posticæ extus spinis novem vel decem armatæ.

Specimen e Mexico, varietati *c* simile, ad hanc speciem forte referendum, antennis autem nonnihil longioribus divergens.

DIVISIO TERTIA.

a. *Corpus totum cum pedibus remote pilosum; oculi præsertim marium, magni; lamina supraanalis marium triangularis, sensim angustatus; cerci marium mediocres, apicem lamina supraanalis attingentes.*

1. *P. aztecus* SAUSS. — *Platyphyma aztecum* SAUSS., Rev. et Mag. Zool. XIII, p. 161.

Patria: Mexico. (Mus. Holm. et Coll. BRUNNER.)

2. *P. pilosus* STÅL. — Olivaceus; pedibus olivaceo-flavescentibus; tibiis posticis olivaceo-virescentibus, harum basi nec non capitulo geniculari femorum posticorum nigris; elytris rudimentariis. ♂. Long. 16 mill.

♂. Intervallum lorum mesosternalium paullo longius quam latius, lobis multo angustius, lateribus parallelis; lobi metasternales subcontigui; oculi maximi, sat convexi; margo apicalis sensim obtusi sinuatus, in medio leviter emarginatus, lobo destitutus; lamina supraanalis sulco sensim angustata, ultra medium ducta, instructa; cerci levissime curvati, toti compressi et latiusculi, ante medium leviter coarctati; lamina subgenitalis brevis, fortissime recurva; abdomen posterius tumescens et nonnihil recurvum.

Patria: Mexico (Coll. BRUNNER.)

Fronte loboque antico pronoti minus dense punctatis, costa frontali obtuse subsulecata inter antennas angustiore, lateribus parallelis instructa basi leviter angustata, intervallo oculorum angustiore,

pronoto dorso tereti, basi abbreviato et truncato, lobo postico lobo antico circiter dimidio brevior, elytris rudimentariis, fortiter distantibus, ellipticis, apicem segmenti mediani leviter superantibus, pronoto brevioribus, abdomine apice obtusior, posterius tumidiore et recurvo, cercis latioribus, segmento dorsali ultimo abdominis lobo obtuso apice emarginato distituto, femoribus posticis minus latis longioribus, tuberculo prosternali conico, antennisque longioribus, dimidio corpore longioribus a *P. azteco* divergens. Tibiæ posticæ exempli descripti extus spinis octo nigris basi olivaceo-virescentibus armatæ.

Exemplum femininum dorso corporis et femorum posticorum ferruginante, oculis minoribus, intervallo loborum mesosternalium subtransverso et lobis vix angustior, lobis metasternalibus modice distantibus insigne ad speciem supra descriptam verisimiliter referendum. In hoc exemplo antennæ mutilæ sunt, et tibiæ posticæ extus spinis novem armatæ.

aa. *Corpus et pedes pilis rarissimis vestita; oculi nonnihil minores quam in divisione præcedente; lamina supraanalis marium a basi longe ultra medium lateribus rectis et subparallellis instructa, dein subito maxime angustata; cerci marium breves.*

3. *P. punctatus* STÅL. — Apterus, olivaceo-flavescens, interdum in ferrugineum vergens, subnudus, tantum in tibiis posticis ventrequè distinctius pilosus; linea transversa interoculari vittaque angusta, antè abbreviata, retrorsum angustata verticis, vitta lata postoculari genarum, per lobos laterales pronoti continuata, vittis duabus dorsalibus pronoti, interdum in unam confluentibus, pleuris, vitta laterali abdominis retrorsum angustata, posterius abbreviata, apud feminas in maculas dissoluta, vitta abbreviata inferiore areæ discoidalis exteriores nec non arcu laterali capituli femorum posteriorum fuscis vel nigro-fuscis; vitta obliqua pleurorum flavescens; tibiis posticis glaucis, spiniis apice nigris. ♂♀. Long. 16—21 mill.

♂. Dorsum abdominis basi punctatum, præterea læve, inter vittas laterales maculis fuscis destitutum; oculi sat magni, modice convexi; intervallum oculorum angustius; intervallum loborum mesosternalium longius quam latius, lobis angustius; lobi mesosternales æque longi ac lati; lobi metasternales subcontigui; abdomen posterius tumescens et leviter recurvum; segmentum dorsale ultimum apice processum, sulcatum, apice emarginatum, retrorsum vix angustatum emittens; lamina supraanalis a basi longe versus apicem sensim levissime angustata, dein subito angulum rectum utrinque formans et maxime angustata, apice in processum parvum triangularem prominula, posterius subsulcata; cerci breves, teretes, sensim acuminati; lamina subgenitalis brevis, fortissime recurva, erecta, obtusa, margine apicali in medio prominulo.

♀. Dorsum abdominis punctatum, inter vittas maculis obliquis, duplicè serie positis, fuscis notato; oculi minores; intervallum oculorum minus angustum; intervallum loborum mesosternalium nonnihil longius quam latius, nonnihil latius quam in mare; lobi mesosternales leviter transversii; lobi metasternales uti in mare subcontigui.

Patria: Texas. (Mus. Holm.)

Frons remote et obsolete, pronotum totum, metanotum segmentum medianum et basi abdominis densius et distinctius punctata. Costa frontalis maris lateribus subparallelis instructa, feminae inter antennis leviter ampliata, basi leviter angustata, in medio obtuso subsulcata. Antennae mediocres, in mare nonnihil longiores quam in femina. Pronotum basi truncatum, basin metanoti attingens, dorso teres, carina subtili instructum, sulcis transversis subtilibus, in lobo antico medio interruptis. Tympana nulla. Femora postica superne interdum fusco-nebulosa. Tibiae posticae extus spinis novem, basi albicantibus, apice nigris, armatae.

DIVISIO QUARTA.

(*Paroxya* SCUDD.)

a. *Cerci marium medium versus coarctati, pone medium apicem versus sensim distinctissime ampliati.*

1. *P. rectus* SCUDD. — 2. *P. atlanticus* SCUDD.

aa. *Cerci marium compressi, in parte basali sensim leviter angustati, dein apicem versus haud vel obsoletissime ampliati.*

3. *P. plebejus* STÅL. — Griseo-flavescens, dorso infuscatus; vitta postoculari genarum per lobos laterales pronoti usque ad sulcum posticum ducta, pleuris, arcu laterali capituli femorum posticorum; fascia antica lorum genicularium femorum posticorum, parte brevi basali nec non spinis tibiaram posticarum; macula vittaque pleurorum, macula dorsali basali tibiaram posticarum nec non basi ima spinarum interiorum tibiaram earundem albicantibus; tibiis posticis glaucis, ad partem basalem nigram annulo pallido instructis; elytris alisque fortiter abbreviatis. ♂. Long. 20 mill.

♂. Antennae capite pronotoque unitis vix vel paullo longiores; oculi sat magni, latiusculi, modice convexi; lobi mesosternales nonnihil transversis; intervallum lorum mesosternalium anterius valde angustum, retrorsum, ampliatum, vix longius quam postice latius; lobi metasternales subcontigui; abdomen apicem versus levissime tumescens, apice leviter recurvum; segmentum dorsale ultimum apice in medio leviter emarginatum et ad emarginaturam utrimque lobulo brevissimo rotundato instructus; lamina supraanalis triangularis, subaequilatera, sulco longitudinali sensim evanescente instructa; cerci mediocres, compressi, a basi ad medium sensim nonnihil angustati, dein pone medium apicem versus vix ampliati, apice oblique rotundato-truncati, extus pone medium excavati lamina subgenitalis brevis, sinuato-truncata, fortissime recurva, macula parva apicali nigra notata.

Patria: Texas. (Mus. Holm.)

Quoad habitum, puncturam et picturam. *P. atlantico* simillima, sed antennis brevioribus, elytris alisque (an semper?) abbreviatis, formaque partium analium distinctissima. Pronotum basi obtusissime angulatum, lobo postico lobo antico vix dimidio brevior. Elytra pronoto longitudine subaequalia, medio latissima, subovalia,

extus quam intus fortius rotundata, apice rotundata, contigua. Alæ albicante-hyalinæ. Tuberculum prosternale conicum. Femora postica dorso intus fusco-trimaculata. Tibiæ posticæ extus spinis undecim vel duodecim armatæ.

4. *P. rusticus* STÅL. — Præcedenti simillimus, differt oculis nonnihil minoribus, antennis longioribus, vitta laterali pronoti percurrente, forma intervalli sternorum, lobis genicularibus femorum posticorum nigris, tantum apice imo pallidis nec non forma partium analium maris. ♂♀. Long. 20 mill.

♂. Antennæ femoribus posticis vix breviores; oculi majusculi, modice convexi; intervallum loborum mesosternalium anterius lobis dimidio angustius, retrorsum sensim ampliatur; lobi mesosternales leviter transversi; lobi metasternales fortiter appropinquati; abdomen posterius haud vel vix tumescens, apice levissime recurvum; segmentum dorsale ultimum e medio lobos duos sat longos, sensim acuminatos, divaricatos, emittens; lamina supraanalis triangularis paullo longior quam basi latior, lateribus leviter rotundatis instructa, apice angulum subacutum formans, sulco longitudinali ante medium distincto, pone medium obsolete instructa, prope latera longitudinaliter impressa; cerci compressi, latiusculi, basi sensim nonnihil angustati, dein ubique æque lati, posterius extus leviter excavati; lamina subgenitalis brevis, fortiter recurva, sinuato-truncata, macula parva apicali nigra notata.

♀. Antennæ femoribus posticis nonnihil breviores; oculi minores; lobi mesosternales transversi, intervallo circiter duplo latiores; intervallum loborum mesosternalium utrimque sinuatum, prope basin angustius, hinc retrorsum ampliatur; lobi metasternales sat distantes.

Patria: Texas. (Mus. Holm.)

DIVISIO QUINTA.

(*Melanoplus* STÅL.)

a. *Costa frontalis inter antennis haud angustata, ibidem intervallo oculorum latitudine subæqualis vel fere latior.*

b. *Lamina subgenitalis marium brevis, apice late sinuata; lamina supraanalis marium a basi longe ultra medium haud vel vix angustata; segmentum dorsale ultimum marium apice lobos duos longos et graciles, basi convexos vel stipite brevi communi suffultos emittens, (P. femur rubrum DE GEER.)*

bb. *Lamina subgenitalis marium apice truncata vel versus medium producta; lamina supraanalis usque a basi retrorsum distincte angustata; segmentum dorsale ultimum marium apice lobis destitutum, vel lobos duos, longitudine variabiles, usque a basi liberos vel stipite brevi communi destitutos emittens.*

c. *Cerci marium variabiles, nunquam usque a basi sensim acuminati.*

d. *Cerci marium pone medium curvati, plerumque recurvi, vel supra subtusque inæqualiter ampliati.*

e. *Margo inferior cercorum marium subtus fere in medio angulum distinctum, interdum in dentem prominulum, formans, vel cerci posterius supra subtusque ampliati; segmentum dorsale ultimum marium hucusque cognitorum apice lobis nullis nisi brevissimis armatum.*

f. *Femora postica in area exterioriore inferiore serie macularum nigrarum notata.*

(*P. differentialis* THOM. et *rubustus* SCUDD.)

ff. *Femora postica in area exterioriore inferiore serie macularum nigrarum destituta.*

(*P. bivittatus* SAY et *helluo* SCUDD.)

ee. *Margo inferior cercorum marium sensim obtuse rotundatus vel rotundato-angulatus, raro fere rectus.*

g. *Margo inferior cercorum marium sensim rotundatus vel obtuse rotundato-angulatus, margo superior leviter sinuatus; cerci breves, posterius sensim angustati, toti compressi.*

h. *Mesosternum marium in medio obtuse tuberculato-elevatum.*
(*C. spretus* UHLER.)

hh. *Mesosternum tuberculo destitutum.*

(Species plures, inter quas nonnullæ brachypterae.)

gg. *Cerci minus breves, in parte brevi basali sensim angustati, dein angustiusculi et usque ad apicem lineares, apice obtusi, margine inferiore toto subrecto.*

(Species una.)

dd. *Cerci marium recti, compressi, medio leviter coarctati, supra subtusque æqualiter sinuati, basi et posterius æque lati, apice rotundati.*

(Species nonnullæ, inter quas una brachyptera.)

cc. *Cerci marium breves, compressi, a basi usque ad apicem sensim acuminati.*

(Species brachyptera.)

aa. *Costa frontalis inter antennis sat angusta, ibidem intervallo oculo angustior; cerci ultra medium sensim angustati, posterius graciles.*

(Species una, an *P. nebrascensis* THOMAS?)

DIVISIO SEXTA.

(*Hesperotettix* SCUDD.)

1. *P. viridis* THOM.; 2. *P. speciosus* SCUDD.

DIVISIO SEPTIMA.

(*Pezotettix* BURM.)

a. *Spinæ utriusque lateris tibiarum posticarum basi per totum ambitum pallidæ.*

b. *Tuberculum prosternale obtusissimum, præsertim in femina parum elevatum; lobi sternales utriusque sexus usque a basi fortiter divergentes, in femina maxime distantes; cerci marium longiusculi, a basi ad medium sensim fortiter angustati, dein graciles; lamina subgenitalis tota pallida, apice rotundata; corpus femine latum, depressum.*

1. *P. obesus* THOM. — Specima, quæ vidi, in spiritu vini interfecta.

bb. *Tuberculum prosternale fortius elevatum, conicum vel subtriangulare; lamina subgenitalis marium cognitorum apice angulum magis minusve distinctum formans, vel ad apicem tumidum vel conico-productum; segmentum dorsale ultimum marium apice in medio nigromaculatum vel dentes lobulosve duos nigros emittens; latera lamina supraanalis marium cognitorum nigro-picta; formæ europææ.*

c. *Cerci marium breves, sensim acuminati, recti; lamina subgenitalis marium tota vel apice, saltem ad latera, nigra.*

2. *P. pedestris* LIN.; 3. *P. alpinus* KOLL.

cc. *Cerci marium longiores, mediocres vel longiusculi; lamina subgenitalis marium pallida, nullibi nigro-picta.*

d. *Tibiæ posticæ subtus non nisi basi ipsa nigræ; margo apicalis segmenti dorsalis ultimi marium apice spinas duas maxime appropinquatas, parallelas, emittens; valvulae genitales feminarum longæ, apice sinuato-truncatæ.*

4. *P. mendax* FISCH, FR.

dd. *Tibiæ posticæ subtus vitta fusca vel nigricante, ultra medium extensa, raro deficiente, notatæ; margo apicalis segmenti dorsalis ultimi marium inermis vel dentes duos distantes et divaricatos emittens; valvulae genitales feminarum apice acuminatæ vel subacuminatæ.*

5. *P. Schmidtii* FIEB.; 6. *P. salamandra* FISCH. FR.

aa. *Spinæ lateris utriusque vel exterioris tibiæ posticarum, saltem posterius per totam longitudinem nigræ;*

e. *Antennæ breviusculæ, minus gracilis articulis mediis haud vel paullo longioribus quam latioribus; lobi mesosternales feminarum fortiter distantes, intervallum loborum fortiter transversum, lobis latitudine æquale; oculi minores; segmentum dorsale ultimum in medio et lamina supraanalis marium haud nigro-picta.*

7. *P. frigidus* BOH.

8. *P. Bohemani* STÅL. — *P. frigido* simillimus et maxime affinis, differt autem magnitudine minore, genis minus tumescentibus, elytris alisque nonnihil brevioribus, cercis marium angustioribus, segmenti ventrali ultimo marium apice macula parva rotundata nigra notato. ♂♀. Long. 14—21 mill.

Patria: Colorado. (Mus. Holm.)

ee. *Antennæ graciliores et minus breves, articulis mediis distincte longioribus quam latioribus; lobi mesosternales feminarum minus distantes, intervallum lobis angustius; oculi, marium saltem, majores.*

8. *P. nigro-vittatus* STÅL.; ♀. *P. glacialis* SCDD.

SITALCES n. g.

Intervallum oculorum angustum vel modice latum. Fastigium verticis planiusculum, cum intervallo oculorum sensim nonnihil declive, apice rotundatum. Costa frontalis a basi ad medium distincte elevata, licet ocellum versus sensim humiliter, dein valde depressa, evanescens vel rugis duabus obtusis representata. Tempora angusta vel angustissima, marginem angustum inter fastigium et frontem efficientia. Ocelli ad marginem fastigii valde appropinquati. Oculi magni vel majusculi, in utroque sexu ante scrobes distinctissime vel sat fortiter descendentes. Antennæ mediocres, lineares. Pronotum ubique distinctissime punctatum, postice fortiter abbreviatum, basin metanoti haud vel vix attingens, basi emarginato-truncatum, emarginatura obtusangula; dorsum teres, in lobos laterales sensim continuatum, carina plerumque subtili, obtusa vel vix elevata instructum; pars anterior marginis exterioris loborum lateralium magis minusve distincte sinuata. Metanotum, segmentum medianum et abdomen anterie distinctissime punctata. Elytra nulla vel rudimentaria. Intervallum loborum mesosternalium apud feminas transversum vel subtransversum, lateribus rectis et parallelis vel subparallelis. Lobi metasternales modice distantes, in mare unico cognito subcontigui. Femora postica in area exteriori superiore distincte punctata, margine dorsali integro, inermi. Tibiæ posticæ pilosæ, extus spinis septem vel octo armatæ. Articulus ultimus tarsorum posticorum articulis duobus basalibus unitis longitudine subæqualis, haud longior. Tympanum haud immersum, magnitudine varians, interdum obsoletissimum.

Hoc genus ad *Pezotettigem* maxime appropinquat, differt autem his notis semper unitis: dorso thoracis toto pleuris dorsoque abdominis anteriori distinctissime punctatis, femoribus posticis superne punctatis, pronoto basi emarginato-truncato, elytris nullis vel rudimentariis angustis, fortiter distantibus, parte dimidia anteriore marginis exterioris loborum lateralium pronoti apud feminas distincte sinuata, tibiisque posticis extus spinis haud ultra octo armatis.

a. *Tuberculum prosternale obtusissimum, levissime elevatum, apice spinula erecta armatum; carina pronoti obsoletissima; color corporis olivaceo-virescens; carinæ femorum posticorum immaculatæ.*

1. *S. Volæmi* STÅL. — Parce pilosus, olivaceus, subtus cum fronte pedibusque pallidior, dilute olivaceo-virescens vel flavescens; antennis testaceo-flavescentibus; genis lateribusque thoracis infuscatis; maculis duabus parvis ad marginem posticum oculorum in parte superiore capitis positis; nec non macula majore ad medium marginis postici genarum limbo latissimo exteriori loborum lateralium pronoti maculaque parva pleurorum ad coxas posita dilute sordide flavescens; limbo pallido loborum lateralium pronoti interdum ante medium macula fusca notato; tibiis tarsisque posticis glauco-virescentibus, spinis nigris, basi albicantibus, octo in margine exteriori intervallo oculorum angustissimo; elytris parvis ovalibus apicem metanoti haud superantibus. ♂♀.

♂. Oculi sat magni, fortiter convexi et prominuli, parte infraculari genarum circiter duplo longiores, intervallum oculorum angustissimum, basi costæ frontalis dimidio angustius; elytra marginem posticum metanoti attingentia; abdomen pone medium apicem versus sensim tumescens, posterius nonnihil recurvus; venter apicem versus sensim ampliatus; segmentum dorsale ultimum apice late et sensim sinuatum, in medio emarginatum, ex emarginatura lobulum retrorsum emittens. Lamina supraanalis leviter transversa, sulco obtuso longitudinali percurrente instructa, basi apiceque fere æque lata, marginibus lateralibus versus medium sensim obtuse rotundato-angulatis, apice obtusissima et bisinuata, lateribus pone medium obtuse excavatis; cerci longi, in parte vix tertia basali crassiores et leviter compressi, ibidem sensim angustati, dein pone illam partem coarctati et subito fortiter recurvi, parte recurva longa, tereti, ante medium crassiore, dein apicem versus sensim gracilescente; lamina subgenitalis sensim angustata, breviuscula, apice in processum brevem truncatum, sursum vergentem, producta; intervallum loborum mesosternalium fere æque longum ac latum, retrorsum sensim nonnihil angustatum, posterius lobis nonnihil angustius; lobi metasternales subcontigui; femora anteriora incrassata; antennæ capite pronotoque unitis multo longiores. Long. 14 mill.

♀. Oculi minores et minus convexi; intervallum oculorum angustissimum, paullo latius tamen quam apud marem; elytra marginem posticum metanoti haud attingentia; intervallum loborum mesosternalium distincte nonnihil transversum, retrorsum vix angustatum, lobis latitudine æquale; lobi metasternales nonnihil distantes; antennæ capiti pronotoque longitudine subæquales. Long. 20 mill.

Patria: Brasilia (♂: Mus. Bruxell; ♀: Coll. BRUNNER.)

Genæ apicem versus et frons remote, in mare distincte, in femina obsolete, punctatæ. Fastigium planum, levissime declive, rotundatum, in mare nonnihil magis prominulum quam in femina. Costa frontalis ante ocellum obsolete, parte reliqua plana, basi leviter angustata. Tempora haud discreta. Carina pronoti obsoleta sulcis tribus intersecta. Tympana obsoleta, parva.

2. *S. vittiventris* STÅL. — Præcedenti simillimus et maxime affinis distinctissimus autem corpore nonnihil robustiore, punctura fortiore, fastigio verticis magis declivi, intervallo oculorum latiore, parte interantennali costæ frontalis latitudine æquali vel fere latiore, oculis nonnihil minus convexis, tibiis posticis extus spinis septem armatis, nec non pictura; olivaceo-viridis; antennis nigricantibus, basin versus viridi-variegatis; lateribus corporis vitta nigra, in capite pone oculos incipiente, dein per partem superiorem loborum lateraliū pronoti longi ultra medium abdominis extensa, in abdomine sensim angustata, ornatis, illa vitta, saltem in exemplo descripto, in parte posteriore loborum pronoti obsoleta, in pleuris oblitterata, maculis parvis marginis postici pronoti nigris; dorso corporis utrimque vitta angustiore, olivaceo-flavescente, obsoleta, in pronoto distinctiore, vittam illam nigram sequente, ornato; intervallo loborum mesosternalium et metasternalium nec non vitta ventris nigris; tibiis

posticis fusco-olivaceis, harum basi nec non capitulo geniculari femorum posticorum testaceis; spinis tiliarum albicantibus, apicem versus nigris; tympanis distinctis, nonnihil majoribus. ♀. Long. 21 mill.
Patria: Brasilia. (Coll. BRUNNER).

aa. *Tuberculum prosternale spinula apicali destitutum; carina pronoti, saltem partim, distincta; color corporis pallide griseo-flavesceus, dorso in dilute fuscum vel subferrugineum vergens; carina femorum posticorum minute fusco-maculata.*

3. *S. punctifrons* STÅL. — Griseo-flavesceus, puberulus, dorso pedibusque obscurioribus; linea transversa laterali frontis inter ocellos et antennas, lateribus costae frontalis ad antennas, lateribus partis anteriores prosterni, maculis parvis marginis postici, vitta maculari dorsi abdominis, lineola coxarum intermediarum, maculis nonnullis parvis serie positis femorum anteriorum, maculis parvis carinarum nec non disco et apice lateris interioris femorum posticorum, macula parva prope apicem apiceque imo tiliarum, anteriorum, articulo secundo tarsorum anteriorum tarsisque posticis intus nigris; vitta postoculari genarum fusca; dorso thoracis infuscato, limbo lato exteriori loborum lateralium pronoti griseo-flavescente; linea inter partes pallidiorem et obscuriorem loborum lateralium pronoti nigris; elytris rudimentariis; intervallo oculorum parte interantennali costae frontalis dimidio angustiore. ♀. Long. 21 mill.

Patria: Caracas. (Coll. BRUNNER.)

Statura *S. Volæmi*, cum quo habitu, punctura formaque partium plurimarum congruit, fronti autem distinctius et densius punctata, costa frontali nonnihil latiore, pone medium punctata, ante partem tertiam basalem late sulcata et carinis duabus usque ad apicem frontis continuatis representata, elytris multo longioribus, oblongis, fere triplo longioribus quam latioribus apicem segmenti mediani subattingentibus, intervallo loborum mesosternalium nonnihil angustiore, forma tuberculi prosternalis et ceteris supra relatis divergens. Tuberculum prosternale breviter conicum, acutum, sensim acuminatum. Tibiae posticae extus spinis octo armatae. Carina pronoti anterior et posterior distincta, in medio dorsi subevanescent. Tympana distincta, mediocria.

4. *S. coralis* STÅL. — Praecedenti simillimus et maxime affinis, differt costa frontali nonnihil angustiore, ante medium minus distincta; intervallo oculorum costa frontali nonnihil latiore; oculis nonnihil brevioribus et minus prominulis; pronoto carina distinctiore, continua, percurrente, sulco tantum postico interrupta, instructo; elytris nullis; metanoto, segmento mediano abdominisque dorso anterior fortius punctatis; tuberculo prosternali obtusissimo, leviter elevato, transverso; fronte pone antennas lineola laterali nigra destituta coxis trochanteribusque anterioribus subtus nigris; coxis posticis subtus nigro-maculatis; disco interiore femorum posticorum nigro-marmorato; tibiis tarsisque posticis intus per majorem partem longitudinis nigris; tibiis posticis extus spinis septem armatis; lobis metasternalibus nonnihil brevioribus. ♀. Long. 18 mill.

Patria: Caracas. (Coll. BRUNNER.)

DIAGNOSES SPECIERUM NOVARUM.

COLPOLOPHA STÅL.

a. *Sulcus costæ frontalis basin costæ attingens; margines fastigii capitis crenati.*

1. *C. sinuata* STÅL. (1873).

aa. *Sulcus costæ frontalis basin costæ haud attingens; margines fastigii capitis integri.*

2. *C. Burmeisteri* STÅL. (1875).

3. *C. latipennis* STÅL. — Cinnamomea; elytris parce fusco-nebulosis; alis sordidi hyalini, dilute cinnamomeo-venosis; femoribus subtus sanguineis; *C. Burmeisteri* similis, sed fastigio capitis magis prominulo; crista pronoti ubique altitudine subæqualis, per totam longitudinem minute obtuseque crenulata, margine dorsali fere recto, in medio lobi postici vix rotundato; marginibus lateralibus pronoti ante angulos humerales minute obtuseque crenulatis, ante et pone angulos eisdem dente majore armatis, angulis ipsis in dentem prominulis; elytris pone partem tertiam basalem latioribus et ibidem fere usque ad apicem æque latis ac prope basin, apice oblique latique truncatis; alis unicoloribus, area radiali apicem versus sensim ampliata, apice latiore et obliquius truncata; tuberculo prosternali compresso; margine postico segmento dorsalis ultimi maris ante lamina supraanalem utrimque in dentem longiorem prominulo; lamina subgenitali maris longius et sinsim conico-producta, superne sulco laterali profundo destituta. ♂. Long. corp. 40 mill.

Patria: Peru (Mus. Holm.)

TRAPIDONOTUS SERV.

a. *Anguli geniculares femorum posticorum acutiusculi, leviter producti; vena elytris maculis minutissimis subelevatis nigris remote conspersa.*

1. *T. discoideus* SERV.; 2. *T. angulatus* STÅL. (1873).

3. *T. rosulentus* STÅL. — *T. discoideo* simillimus, sed colore totius corporis obscuriore, magis fusco, fastigio capitis nonnihil obtusiore, crista pronoti minus alta, summa pallescente, marginibus dorsi pronoti pallescentibus et pone medium distinctius obtuse crenulatis, elytris apicem versus nonnihil minus dense reticulatis, fusco-venosis et parce fusco-conspersis, area anali alarum ultra medium subrosea, tuberculo prosternali recto, tibiis posticis extus spinis undecim vel duodecim armatis, distinctissimus. ♂♀. Long. corp. 38—47 mill. Patria: Nova Granada. (Mus. Holm.)

aa. *Anguli geniculares femorum posticorum haud producti, obtusi vel obtusiusculi; elytra apice minus dense reticulata quam in T. discoideo; vena elytrorum maculis parvis nigris destituta; crista pronoti integra, non nisi posteriori obsolete obtusissimeque crenulata.*

4. *T. scabripes* STÅL. — Virescens; alis infuscatis, intervallo scali hyalino, decolore, area anali ultra medium dilute cinnabarina:

femoribus posticis punctatis, in carinis omnibus nigro-serratis; tibiis posticis extus spinis undecim vel duodecim armatis; spina prosternali sat valida, recurva, anterieus a basi ad medium late subsulcata; angulis humeralibus pronoti obtuse rotundatis; marginibus dorsi pronoti obtusissime, apud marem distinctius, apud feminam obsolete crenulatis. ♂♀. Long. corp. 31—42 mill.

Patria: Sao Leopoldo Brasiliæ meridionalis. (Mus. Holm.)

Var. a. — Elytris viridibus, area anali subtetacea; pronoto viridi, margine uno dorsi pallescente. ♀.

Var. b. — Elytris infuscatis et obscurius nebulosis, area anali viridi; crista pronoti leviter infuscata. ♂.

5. *T. levipes* STÅL. — Præcedenti maxime affinis, differt elytris viridibus, in area postradiali serie macularum nigricantium vel fuscaram, subquadrangularem, ultra medium elytri ducta, ornatis; alis apice pallidioribus; femoribus posticis impunctatis vel non nisi dorso obsoletius et parcius punctatis, in carina dorsali distincte serrata, in carinis reliquis inermibus vel subinermibus; spinis interioribus tibiaram posticarum nonnihil brevioribus; tuberculo prosternali recurvo, anterieus basin versus tereti. ♂♀. Long. corp. 30—48 mill.

Patria: Sao Leopoldo Brasiliæ, Respublica argentina. (Mus. Holm.)

Var. a. Pronoto immaculato. ♂♀.

Var. b. Pronoto in crista et in lobis lateralibus fusco-maculato; elytris vitta dilute subtetacea, in qua posita est series macularum fuscaram, ornatis. ♀.